COLLEGIUM JURIS PUBLICI,

CONTINENS

OCTO DISCURSUS,

IN QVIBUS

DE ROMANI IMPERII

INITIIS, PROGRESSU ET AD GERMANOS translatione, itemque de Romano-Germanici Imperii Imperatore & omnibus illius Statibus agitur.

Ex permiſſu Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ Academiæ Jenenſis,

PRÆSIDENTE

CHRISTOPHORO BEINDORFIO WANTZLEBIENSI

MAGDEBURGICO.

A

Nobiliſſimis & Doctiſſimis viris juvenibus juris publici & privati ſtudioſiſſimis, quorum nomina ſingulis Diſcurſibus præfixa leguntur, propoſitos & excuſſos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ

Typis TOBIÆ STEINMANNI

Anno M. DC. XIX.

Nobiliſsimo & Ampliſsimo Viro

DN. SEBASTIANO ANDREÆ KIRCHERO JCTO Excellentiſsimo, Hæreditario in Duntzenhauſen/ꝛc.

Fautori & Patrono ſuo plurimùm colendo
S. D.

CHRISTOPHORUS BEINDORFIUS.

N*Obiliſsime, Ampliſsimeq́ Domine, Fautor ac Promotor multis nominibus honorande, duas univerſi juris poſitiones eſſe jus ſcilicet publicum ac privatum, etiam illis notum eſt, qui vix primis (quod dicitur) labris Jurisprudentiam Juſtinianæam deguſtarunt. Ut neq́ hoc quempiam facilè latere poteſt: Jus hoc, quod modò privatum diximus, & ſingulorum utilitatem concernit, eruditiſsimis doctiſsimorum Jurisconſultorum lucubrationib. adeò hodiè illuminatum ac illuſtratum eſſe, ut qui de illius vel difficultate, vel etiam obſcuritate amplius conqueri non erubeſcunt, jure meritoq́ fungum pro cerebro, aut peponem pro corde habere credantur. Alterum verò jus quod attinet, illud nimirum, quod publicum appellatur, & in ſacris, Sacerdotibus ac Magiſtratibus conſiſtit, quamvis etiam huic ſua conſtet dignitas*

& certitudo: inveniuntur tamen non pauci, qui id labefactare conantur, & dicere, accidiſſe ei, quod aquarum fontib. contingere videmus; qui (ut eleganter alicubi Seneca loquitur) quantò longius per ſubterraneos fluunt meatus, tantò plus deperdunt integritatis, & adſciſcunt impuritatis. Sic (inferunt) jus publicum quoq; temporum fluxibus & annorum multum integritatis amiſit, & ipſo veluti tractu, niſi planè abſumptum, vehementer certè impuratum eſt. Sive enim ſacra (pergunt) conſideres, ſive Sacerdotes intuearis, ſive deniq; (quib. omnibus jus publicum abſolvi tradit Ulpianus l. 1. §. 2. ff. de juſt. & jur.) Magiſtratus perpendas, eorumq́; hodiernum ſtatum cum veteri committas, exclamare juvabit cum Poeta: Quantum mutatus ab illo eſt!

Etenim, ut de ſacris primum agamus, quis adeò in hiſtoriarum monumentis peregrinus ac hoſpes eſt, qui neſciat, Ulpiani tempore gentilium Diis Deabusvé ſacra facta, ipſum verò Ulpianum ejuſdem Ethnica ſuperſtitionis non modò ſtrenuum propugnatorem, ſed & crudeliſſimum Chriſtianorum hoſtem fuiſſe? Quis deinde tanta mentis hebetudine eſt, ut hinc non intelligat, Sacerdotibus illo tempore longe alios honores exhiberi, alia ſtipendia dari, alias deniq; dignitates concerni conſueviſſe? Ut nihil dicamus de magiſtratibus, quos conſtat olim neceſſe habuiſſe, ut ab Imperatoribus crearentur, priusquam vel Marchionatum, vel Landgraviatum, aut horum ſimile aliquid obtinerent, & illorum dignitas tanquam per traducem in heredes transfunderetur. Hodiè autem longè rectius cum illis ſeſe res habet. Ducatus enim, Marchionatus, Burggraviatus &c. quos ab Imperatoribus Imperii Principes veſtitura cum omnibus pertinen-

nitentiis & ſuperioritatis juribus conſequuntur, ipſis adimi, illi autem pro lubitu deveſtiri, eorumq́ honos & ſtatus tolli vix poſſunt, etiam de plenitudine poteſtatis, niſi ob noxam feudi commiſſoriam.

Quam rem omnem (tandem concludunt) ſi quis non vulgari tantum trutina, ſed & artificis ſtatera probè examinaverit, tàm vera quæ diximus deprehendet, ac ſi ex tripode (ut loquuntur) prolata fuiſſent. Hæc & his ſimilia, nec alia, illi. Hercules tuam fidem exclamare nos juvet hoc loco, quibus errorum laqueis ſeſe involvunt hi homines! Ajunt, non poſſe à nobis uſurpari verba Ulpiani, propterea, quia Ethnicus fuerit. Quâ quæſo ratione conſequentia? Quaſi verò ad noſtrum forum applicari non poßit, quod ſapienter olim Ethnici pronunciarunt. Fecit hoc certè Imperator noſter Juſtinianus, & rectè quidem fecit, cum veterum Jurisconſultorum reſponſa, atq; inter illa dictum Ulpiani locum ſuum faceret, hoc eſt, Imperatoria autoritate muniret, ac de Chriſtianorum ſacris, quibus ipſe quoq; nomen ſuum dederat, non verò de gentilium ſacrificiis & idolis intellectum deinceps vellet, ut colligere eſt ex l. 1. §. 6. c. de veter. jur. enucl. Idem etiam de Sacerdotibus dicendum. De Magiſtratibus verò, qui & Proceres imperii vocantur, reſpondemus, quod quamvis hodiè majorem & ad hæredes tranſitoriam poteſtatem obtineant: eos tamen nihilominus debita obſervantia Imperatori ſubeſſe, huncq́ ſecundum leges hodierni noſtri Imperii venerari, ac honorare. Ut ita parùm roboris habere videantur, quæ ab adverſæ partis patronis in medium ſunt adducta.

Contra verò ſtat ſtabitq́ ſedibus fixa ſuis ſententia, cui nos ſubſcribimus, plerorumq; omnium ſaniorum

Juriſconſultorum, quæ ſtatuunt: Jus publicum æquè ac privatum perfectum eſſe, quanquam tàm multis doctorum virorum laboribus usq; adeò hactenus non fuerit enucleatum. Id quod tamen non eo fine pronuncio, quaſi exiſtimem, nihil planè librorum eſſe, ex quibus plena atq; perfecta illius cognitio hauriri poſſit: ſiquidem non me fugit, plurimum huc facere, ſi quis Auream Imperatoris Caroli IV. Bullam (vel ab appenſo ſigillo aureo, vel ob ſententias, quas continet, auro pretioſiores ſic dictam) cum Receſſibus Imperii, & aliis juris publici Scriptoribus, hiſtoricisq; recentioribus conjungat, ſed ut oſtendam, habere nos heîc ſatis amplum campum, in quo ingenii noſtri vires exerceamus, aliisq; diligentiam & aſſiduitatem noſtram probemus. Quæ cauſa mihi etiam fuit, cur ſuperioribus menſibus Nobiliſſimis ac Doctiſſimis quibusdam viris juvenibus, qui ſe in diſputando exercere cupiebant, auctor eſſem, ut hanc potius materiam, quàm aliam, ſeligerent, diſcurſus inde conſcriberent, & ad diſcutiendum eos proponerent. Qua in re ſi quid laude dignum præſtiterunt, faveat illis ingenuus lector: ſin autem ob lapides alicubi pedes impegerint, aut rem eandem iiſdem forte verbis, quibus alii, uſi ſunt, expreſſerint, cogitet æquus cenſor, in hanc ætatem tàm ſublimium rerum perfectam cognitionem vix ac ne vix quidem cadere vel etiam non raro evenire poſſe, ut duo catuli ejusdem leporis cubile, ſi uterq; iiſdem veſtigiis inſtiterit, deprehendant. Mihi præter præſidium illorum laboribus quicquam vel addere vel demere religio fuit. Methodum verò, quam ſequuti ſunt, non nego me commendaſſe illis ex Forſteri Junioris Interprete c. 3. & Juſto Mejero in præfat, Tom. I. Colleg, Argentor. tùm quod illa planior,

tùm

tùm etiam quia huic noſtro propoſito accommodatior videbatur.

Ad te autem Vir Nobiliſſime atq; Ampliſſime, Collegium hocce ablegare, Clariſſimoq; nomini tuo inſcribere ac dedicare volui, quod, memor benevolentiæ & doctiſſimorum ſermonum tuorum, quondam ad me habitorum, ſcirem, te in hoc publico, quàm in privato jure maxime verſatum, atq; ſummum Studioſorum Fautorem & Mecœnatem eſſe. Quare facere non potui, quin hoc publicè aqlinando teſtarer, ut chartaceum aliquod munuſculum, mei erga N. & A. T. amoris ac obſervantiæ interpretamentum tibi transmitterem. Quod ut ſereno vultu jam nunc à me accipias, BEINDORFIOq;, ſi merebitur, deinceps quoq; faveas, modis quibus poſſum omnibus N. & A. T. rogo atq; obteſtor. Vale, Vir Nobiliſſime, & Reipublicæ bono diu feliciterq; vive!

Dab. Jenæ ex Muſeio 13. Cal. Octob.

Anno cIↃ IↃcXIX.

Errata operarum benevolus lector ita corrigat. In Diſc.1. th.13. pro inquirent lege inquirerent. th. 25. pro de his. l. de Recept. eadem th. pro probibitæ. l. probibiti. th 35. inter verba commiſſi, gerenda, interpone, ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt. In Diſc. II. th.1. pro dignitate dignitatis. th. 9. pro quia l. quin. th.19. pro διατιφῆς *l.* διοστιφῆς. *theſ. 36. pro* Wurmsdorff *l.* Wunsdorff. *th.53. pro credere l. cedere. th. 62. pro armandæ l. armandiæ. in carmine primo pro induperatorium. l. induperatoris. In Diſc. III. th.3. pro anneʃturus l. annexurus. th.12. pro* Hochleid *l.* Hocheit *th.30. pro curionibus. l. Decurionibus. th.34. pro unicuiq; l. ſi judex. theſ. 49. pro Germaniæ l. Germanicæ. th. 65. pro Coelectorales l. Coelectores. th. 81. pro judicis l. judicibus. th. 18. pro forum l. forumq;. th.37. poſt contendit pone Monarchicum. th. 68. poſt promovendo pone jurant. th. 88. pro perpendunt l. perpendant. In carmine Gallico pro da l. de. pro ſouffenne l. ſouſtenne. pro ſol eil. l. ſoliel. pro dorces l. dorees. pro tont l. tous. pro lan quaga l. langage. In Diſc. IV. theſ. 4. poſt num. 5. pone Archiepiſcopi. th. 5. pro ac l. à th. 7. pro notet l. notat. th. 10. pro inveſtigari l. inveſtigaturi. th. 17. pro quod l. qui. theſ. 18. pro Duci. l. Duces. th. 20. pro ipſi l ipſis. th. 25. pro volunt l. velint. th. 27. pro eligerint. l. elegerint. th. 59. pro veliti l. velit th. 42. pro ſui l. ſuo. th. 50. pro nulla leg. nonnulla. th. 53. pro balſama l. balſamo. th. 56. pro ſit l. eſt. th. 58. pro reſcriptum l. ſcriptum. ead. th. pro hoſpiti & promotori l. hoſpite & promotore. th. 62. pro ipſis l. ipſi. th. 72. pro ad l. ab. ead. th. pro oblaitionum l. oblationum. ead. th. pro negligentiam l. negligentia. th. 74. pro quæ l. qui. th. 75. pro concilia l. concilio. th. 85. pro exercere l. exerceri. th. 93. pro certi l. certa. In Diſc. V. pro Ducis, Ducatu. l. Ducis & Ducatu. th. 32. pro illorum l. illi. ead. th. pro & l. quod. & pro quod l. & th. 34. poſt ſciendum pone autem th. 32. pro Sonderbogica l. Sonderbegica. th. 44. pro Comiticis l. Comitiis. theſ. 50. pro poſit l. poſſit. th. 57. pro polluet l. polluta. In Diſc. VI. th. 13. pro mentris l. meritis. th. 66. pro* Gesman *l.* German. *In Diſc. VII th. 19. pro relique l. reliqui. & pro dictionib. l. ditionib th. 20. poſt criminalem pone & civilem. th. 39. pro* Paum-parten *l.* Paumgarten. *th. 46. pro veſtinianas l. veſtiarias, & pro veſtinianæ l. veſtiariæ. th. 47. pro creatione l. conſtitutione. theſ. 48. pro dignitatis l. dignitas. In Diſc. VIII. th. 1. pro ipſosq; l. ipſoq;. th 6. pro principio l. imperio. th. 11. pro electorialia l electoralia. th. 13. pro ac l. à. th. 27. pro territoria l. territorialia. th. 28. pro conceſſa l. conceſſo. th. 28. poſt habentes, pone in feudum. ead. th. pro ne l. ut. th 29. poſt illa pone in. th. 31. pro polit. l. velit. th. 37. pro finis l fin. th. 40. pro marinas l. maximas. ead. th. pro miſſerunt l. miſerunt, & pro nunquam l. unquam. Præter hæc ſi alicubi litera aut omiſſa, aut addita, aut inverſa, aut comma juſto loco non poſitum fuerit, quilibet facilè animadvertet & candidè emendabit.*

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

DISCURSUS JURIS PUBLICI

PRIMUS

De

ROMANI IMPERII INITIIS, PROGRESSU ET AD GERMANOS translatione.

Quem

D. T. O. M. A.

Permittente Ampliſsimo JCtorum hujus Salanæ Collegio

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO BEINDORFFIO, WANTZLEBIENSI Magdeburgico.

Dn. ſuis Collegis ventilandum exhibet

JOHANN-WILHELMUS JUNIUS, Oringenſis Hohenlojus.

Ad diem 15. Julii, horis locoq́ conſuetis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ

EX TYPOGRAPHEIO LITHANDRI

ANNO CIↃ IↃ C XIX.

VIRIS

Magnificis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Excellentiſſimis,

DN. CANCELLARIO CÆTERISQVE, PERILluſtris & Generoſißimi Herois ac Domini, Dn. GEORGII FRIDERICI, Comitis de Hohenlohe ꝛc. Dn. in Langenburg/ꝛc. Equitisq; Aurati &c. Domini mei Clementiſſimi, Conſiliariis meritiſſimis, intimis.

U T E T

Viro Ampliſſimo, Conſultiſſimo,

Dn. WOLFGANGO WERTHERO Mühlpfort/ J.U.D. & in Celeberrimâ Salanâ P. P. nec non Scabinatus ibidem Adſeſſor digniſſimo, & Perilluſtr. & Generoſiſs. Comitum ac Dominorum, Dn. CRATONIS & Dn. PHILIPP-ERNESTI, Comitum de Hohenlohe/ ꝛc Dominorum in Langenburg / Equitumq; Auratorum, &c. Conſiliario meritiſs.

Viris item

Ampliſſimis, Prudentiſſimis,

DN. PRÆTORI, DN. CONSULIB. & SENATORIB. laudatæ Reip. Orenganæ vigilantiſſimis.

Nec non

Viro Reverendo, Excellentiſſimo, Doctiſſimo,

DN. M. LEONARDO TAURINO, Scholæ Orenganæ Rectori, fideliſſimo,

Dn. Patronis, Mecœnatibus, Fautoribus atq; Cognatis meis ſummo honoris cultu æternùm proſequendis,

Hunc diſcurſum juris publici primum,

Officioſiſſimâ atq; devotâ mente,

Dico, offero,

Johann-Wilhelmus Junius

Autor & Reſp.

THESIS I.

Cum turpe ſit ſtatum Reipubl. in quâ vitam ducimus, cujusq; cives ſumus *l.17. D.de ſtat.hom.* non habere exploratum; Ideò Romani Imperii initia & progreſſus impræſentiarum, Romano-Germanici verò caput & membra in ſequentibus diſcurſibus, pro ratione inſtituti noſtri [digne enim hanc materiam tractare noſtri ingenii non permittit imbecillitas] bono cum Deo conſiderabimus.

2. Ut a. hoc eò melius fiat, erit nobis videnda vocis tùm notatio, tùm ambiguitas. Notatio vel eſt generalis deſumta ab effectu, quatenus ſcil. Imperium dicitur ab imperando, quo reſpectu omnes Reſpubl. omnia regna, omnes Principatus, Ducatus, Comitatus &c. Imperii nomine veniunt: vel ſpecialis, deſumta à certâ aliquâ natione, certove populo, à quo ortum ducit; quâ adpellatione inſigniuntur quatuor iſta Imperia ſumma & Catholica, Aſſyriacum ſcilicet quod Aſſyrii vel Babylonii: Perſicum, quod Perſæ atq; Medi: Græcum, quod Græci: & deniq; Romanum, quod Romani ſibi vendicant, hæc enim in ſpecie & κατ' ἐξοχὴν Imperia adpellitantur.

3. Ambiguitas vocis Imperii eſt varia. Sumitur etenim pro poteſtate *l. imperium 3. D. de Jurisdict.* pro omni ſive ſummâ poteſtate *§. ſed & quod 6. Inſtit. de I. N. G. & C. l. 1. D. de Conſtit. Princip. l. 2. §. 14. D. de orig. jur.* pro imperio mero *d. l. 3. D. de Jurisdict.* pro animadverſione *l. 1. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisdict.* pro imperio mixto cui jurisdictio ineſt *l. 3. D. de jurisdict.* pro jurisdictione, ἐν πλατεῖ acceptâ *argum. l. 3. D.*

de juriſdict. abuſivè pro poteſtate privati in privatum *argum. l. 215. D. de verb. & rer. ſignif.* ſicq; dicimus, dominus habet imperium in ſuum ſervum, Der Herr hat vber ſeinen Knecht zu gebieten: ſumitur deniq; vel materialiter, pro regionum ſcilicet & provinciarum, iisdem Imperii legibus devinctarum amplexu & magnitudine; vel formaliter & propriè, pro legitimâ in ſubditos imperandi poteſtate.

4. Hiſce præmiſſis ad rem ipſam deveniamus. Eſt itaque Imperium Romanum propriè & formaliter acceptum, legitima in cives Romanos imperándi poteſtas.

5. Hujus conſiderabimus cauſſas & effectus. Cauſſa efficiens prima eſt DEUS, à quo omnis poteſtas *Rom. 13.* qui de gente in gentem regna transfert *Jerem. 27. v. 5.* per quem reges regnant ac juſta decernunt *Proverb. 8. v. 15.* qui reges ponit atq; deponit *Daniel. 2. v. 21.* imperia tradit *l. 1. C. de vet. jur. enucl. & in princ. conſtit. de concept. Digeſt.* imperii coronam imponit, ac purpuram donat, ut piè inquit pius Juſtinianus in *Nov. 28. c. 4. in fin. Theodor.* Reinkingk *in tract. de Regim. ſec. & eccleſ lib. 1. claſſ. 1. c. 2. num. 3. & ſeq. Clariſſ. D. D. Ott.* favitor meus ſummè colendus *diſſert. de jur publ c. 1 p 36 & 37.*

6. Cauſſa efficiens ſecunda & procreans eſt populus Romanus. Huic enim ab initio præfuit Romulus cum fratre Remo. Rhea enim Sylvia, Amulii Regis filia vi compreſſa, cum præter ſpem geminum partum enixa eſſet, vinculis fuit addicta, gemellis in profluentem amnem projectis; qui tamen divinâ providentiâ ſervati, à Fauſtulo gregis Præfecto reperti, eundem nutricium ſuum ſunt experti, eousq; apud eum commorantes, quousq; tandem tota re compertâ, regem Amulium interfecerúnt, & Numitori Albanâ re permiſsâ, ad condendam urbem animum adpulerunt: idq; iis in locis ubi expoſiti, ubi educati erant, *Forſter. de hiſtor. jur. civil. Rom. lib 1. c. 4 p. 24.*

7. Conditam verò urbem Romam anno mundi 3212. vult

Sleidan.

Sleidan de 4 Monarch lib 1 p 57. Forſter. initium ejus refert ad annum conditi orbis 3214. à captâ Trojâ 432. ante natum Chriſtum 750. anno primo ſeptimæ Olympiad. die 11 April. *d.l.1 c.5* alii eam cœpiſſe tradunt A.M. 3197. antè Chriſtum natum 751. fundamentis ejus jactis 21. April. quæ poſterior ſententia ſimplicior & verior videtur *Clariſſ D D. Otton. fautori meo ſummè conlendo in diſſert.jur publ c.2 p.39.*

8. Cauſſæ conſervantes ſunt I. Reges. II. Conſules. III. Auguſti. IV. Imperatores Romano-Germani.

9. Primus itaq; Rex fuit Romulus, qui regnare cœpit anno à conditâ urbe primo. Romulus enim [primo genituræ prærogativâ à vulturibus ipſi delata, ob idq; bello inter ipſum & fratrem Remum oborto, Remoq; occiſo] rerum potitus, ſolus regni moderator extitit anno 37. Secundus Rex fuit Numa Pompilius, qui regnavit annos 43. Tertius Tullus Hoſtilius, qui regnavit annos 32. Quartus, Ancus Martius, qui regnavit ann. 24. Quintus, L. Tarquinius Priſcus, qui dolo filiorum Anci Martii interfectus eſt, anno regni ſui 38. Sextus, Servius Tullius, qui regnavit ann. 44. Septimus & ultimus Rex Romanorum fuit L. Tarquinius Superbus, qui ob ſcelus filii Sexti Tarquinii, Lucretiæ pudicitiam violantis, de regio ſolio fuit deturbatus, Ann. Urb.cond. 245. regni verò ſui 25. De hiſce regibus Romanorum vide latius tractantem *Dn.Forſter.in hiſtor. Rom. lib c. 6. & ſeqq.*

10. Exactis Regibus ſummum jus ad binos Conſules eſt devolutum: Id quod *Livius* innuit *lib. 2.* his verbis; Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quàm quòd diminutum quidpiam ſit ex Regiâ poteſtate, numeres. Omnia jura, omnia inſignia, primi Conſules tenuère. Id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Quin igitur Conſules ab initio ſummam obtinuerint poteſtatem, non eſt ambigendum. Conſtituto enim optimatum ſtatu, primi Conſules regiam poteſtatem

ſuſceperunt, *Halycarn. lib. 5. in princ.* neq; quidpiam de regia poteſtate ademtum, præterquam quod annuum imperium fuit, *Weſenb. in parat. D. de offic. conſ.* Poſtea verò Conſularis hæc poteſtas paullatim cœpit labefactari. Publius n. Valerius in Regiam poteſtatem, τῶν βασιλέων ἐξουσίαν, ut inquit *Halycarn. lib. 10.* ſuccedens, lege latâ cavit, ne per omnia Regium imperium ſibi vendicarent, *l. 2. §. 16. D. de orig. jur.* ne liceret in caput civis Romani injuſſu populi intra fines urbis animadvertere; neve amplius extrema provocatio & magiſtratuum creatio, quæ ſunt duo præclara Majeſtatis jura, *D. Arniſæ. lib. 2. relect. polit. c. 6. ſect. 3. n. 10.* apud Conſules reſiderent, ſed populo tribuerentur, *Liv. lib. 2. Plutarch. in vit Poblic.*

11. Hoc itaq; tempore ſtatum Reipubl. ambiguum fuiſſe inter Ariſtocratiam & Democratiam, rectè ſtatuere putamus *Arniſæum d. l. n. 14.* Patres quippe jus univerſum retinere, plebeji verò cum provocatione & Magiſtratuũ creatione cætera Majeſtatis jura in ſe transferre, ſummâ vi contendebant, *Arniſ. d. l. n. 15.* inde factum, ut Reſpubl. Romana quâ Magiſtratus variatam conſtitutionem, multas mutationes fuerit experta.

12. Nã cùm omnia arderent furore, imaq; ſummis miſcerentur, re & ſummâ neceſſitate ita exigente, proditi ſunt *Dictatores*, penes quos ſummũ eſſet jus, qui belli, pacis, omnisq; rei dominium obtinerent, à quibusve jus provocandi non eſſet, & quibus etiam ſumma animadverſio concederetur. Quoniam autem hic Magiſtratus ſummam poteſtatem habebat, non erat fas eum ultra ſextum menſem retinere *l. 2. §. 18. D. de orig. jur.* His Dictatoribus adjuncti fuère Magiſtri Equitum, eo modo quo Regibus Tribuni Celerum, quibus ideò id nominis inditum, quod eis competeret poteſtas in Equites. De quibus vid. fusè *Roſin. lib. 7. c. 8. Förſter. lib. 1. hiſtor. Rom. c. 8. n. 2.*

13. Creati quoq; *Cenſores*, à cenſendo ita dicti, quòd vitam mo-

moreſq; examinarent, & in eos inquirent, ad quorumvé cenſionem; id eſt arbitrium, populus cenſeretur. Cenſus enim per multos jam annos neglectos, diutius differre cùm non eſſet e re Reipubl. neq; verò Conſulibus, tot aliàs publicarum rerum labyrinthis involutis, totq; multorum populorum belli tempeſtatibus ingruentibus, eſſet integrum id negotii expedire, bini Cenſores ſunt lecti, qui cenſuræ munus obirent, eoq; onere Conſules levarent. De quorum officio ſcribit *Feneſtell de magiſtrat. Rom. c. 17. & Cic. de leg. lib. 3.* Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniasq; cenſento. Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor. Equitum, peditumque prolem deſcribunto. Cœlibes eſſe prohibento. Mores populi regunto. Bini ſunto. Magiſtratum quinquennem habento: eaq; poteſtas ſemper eſto.

14. Creati *Prætores.* Cauſa verò, cur Prætores ſint conſtituti fuit, quod Conſulibus bellis finitimis avocatis & occupatis, non exiſterent, qui in civitate jus redderent; ſtatutum propterea eſt, ut Prætores crearentur qui jus dicerent. Prætor dictus eſt ex eo, vel quòd jurisdictioni præeſſet, vel quia præibat jus populo, quaſi præitor, *Feneſtell. de Magiſtr. Rom. c. 19.* Primum a unus tantùm inſtitutus eſt, cui Urbano, quod in urbe jus redderet, nomen fuit *l. 2. §. 27. D. de orig. jur.* Cum verò, multâ multitudine peregrinorū in urbē advolitante, nec hic quoq; Prętor jurisdictioni ſolus ſufficeret, præter illū adjectus eſt alius Prætor, qui adpellaretur Peregrinus ideò, quòd plerumq; inter peregrinos jus dicebat, *d. l. 2. §. 28. D. de orig. jur.* Tandem Prætorum numerus adeò eſt adauctus, ut decem & octo invenirentur, qui jus redderent, *d. l. 2. §. 34. D. de orig. jur.*

15. Creati *Ædiles.* Dicti autem Ædiles ab eo, quod ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat. Primùm verò duo Ædiles ſunt conſtituti ex plebe, anno Urb. condit. 271. Dein A. U. C. 388. duo è Patribus adjecti. Annus hic, ut inquit Livius, inſignis fuit novi hominis conſulatu, inſignis

novis

novis duobus Magiſtratibus: *Pratura & Curuli ædilitate*. Tandem Gajus Julius Cæſar præter hoſce alios duos, qui frumento præeſſent, & à Cerere Cereales dicerentur, inſtituit, *l 2. §. 32. D. de orig. jur. Feneſtell. de magiſtrat. Rom. c. 13.* ut ita ſex in Urbe Ædiles fuerint conſtituti: duo è Patrum ordine, quatuor ex plebe.

16. Tribunorum plebis quod originem attinet, proditum eſt à Pomponio JCto in *l. 2. D. de orig. jur.* & *Feneſt. de magiſtr. Rom. c. 10.* illos in monte Sacro à plebe conſtitutos. Cùm enim plebs à Conſulibus, qui omne fas & nefas miſcebant, variè premeretur ac penè opprimeretur, atq; ab iniquis fœneratoribus, quibus ære alieno obſtringebatur, vinculis conſtricta teneretur, ſeditione excitatâ, ſeceſſioneq; in montem ſacrum factâ, proprium hunc ſibi legit Magiſtratum, nec in urbem antè reduci potuit, quàm novus hic Magiſtratus, juris plebeii vindex & cuſtos, ſibi concederetur, conceſſus confirmaretur. Nullo itaq; alio fine tribunos creatos arbitrandum, quàm auxilii causâ, ut ait *Cicero pro Quint.* ſeu ut *Livius lib. 2.* ſcriptitat: Conceſſum eſt in conditiones, ut plebi ſui Magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet, neve cui Patrum capere eum Magiſtratum liceret.

17. Quanta v. fuerit recens natorum tribunorum poteſtas, conſpicere eſt ex eo, quòd omni vocatione & imperio carentes, in id ſaltem ordinati erant, ut oppreſſæ plebi contra injurias Conſulum, interponendo, prohibendové, ſuppetias ferrent, vel ut infit *Valer. Maxim. lib. 2 c. 2.* pro commodis plebis excubarent, & in imperiis compeſcendis occupati eſſent. Ut primùm v. ſeditioſa ingenia ad hunc Magiſtratum fuêre evecta, experti ſunt Patres, quam verè traditũ ſit illud ab *Ariſt. 3. pol. c. 6.* Qui jus quoddã ex parte afferre habent, jus ſe afferre omninò exiſtimãt, & per omnia ęquales eſſe affectãt, quos una libertas in quodam æqualitatis gradu conſtituit. Mox enim Tribuni totius rei ſummam ad ſe pertrahere, unum jus Majeſtatis poſt alterum invadere, importuneq; patribus extorque-

re,

re, donec in Democratiam Reſp. degeneraret. Id quod Q. Fabius, Præfectus urbi confeſſus eſt, dum inquit; nihil non tribunitiæ poteſtati licere, *Liv. lib. 3.* Quot & quàm varia fuerint tribunorum genera, vide ſis apud Pompon. in *l. 2. D. de orig. jur. Förſter in hiſtor. Rom. lib. 1. c. 20. Clariß. D.D. Otton. jur. publ. c. 3. p. 63.*

18. Creati quoq; *Quæſtores*, ab officio ita adpellati, quòd publicæ quærendæ pecuniæ [quæ eſt nervus & propemodum αἷμα καὶ ψυχὴ, ut dicitur, civitatum] ærarioq; præpoſiti erant, *l. 2. D. de orig. jur. l. 1. §. 1. D. de offic. quæſt. Feneſtell. de magiſtr. Rom. c. 3.* Quo verò tempore Quæſtores fuerint inſtituti, ab autoribus in diverſas itum eſt ſententias. *Plutarchus* enim in *Poblicola*, eorum primam inſtitutionem P. Valerio Poblicolæ adſcribit, *Cornel. Tacitus*, quæſtores Romulo & aliis Regibus etiam tùm imperantibus inſtitutas eſſe adſerit, *Annal. libr. 11. Ulpian. verò JCtus* crebriorem apud veteres opinionem eſſe pronunciat, Tullium Hoſtilium primùm in Rempublicam induxiſſe quæſtores, *l. 1. in princ. D. de offic. quæſtor.* Quàm varia extiterint quæſtorum genera ſuppeditat nobis *l. 2. D. de orig. jur.* & *Clariß. D.D. Otto. jur. publ. c. 3. p. 66. Weſenbec. in parat. D. de offic. quæſt. Cujac. in paratit. D. eod.*

19 Et hæc quidem ita ſe habuêre, donec hic Polyarchicus ſtatus poſt exactos Reges natus, ſub Cajo Julio Cæſare iterum denaſci cœpiſſet. Is enim Pompejo peſſundato, ejusq; filiis devictis, & bellis civilibus ſopitis, à Senatu Pater Patriæ dictitatus; Conſul in decennium, Dictator in perpetuum ſalutatus, Sacro ſanctus habitus, poſtremò etiam Imperator adpellatus, ſummum jus, ſummamq; poteſtatem nactus, Rempubl. Romanam in Monarchiam redigere occœpit, quàm Octavius Auguſtus, ejusque ſucceſſores feliciter confirmarunt, confirmatam Romæ continuarunt, donec à Conſtantino Magno in Græciam, exinde à Carolo Magno in Germaniam fuit translata.

20. Id verò mirum alicui, & fatali quâdam neceſſitate factum, meritò videri poteſt, hoc tàm Auguſtiſſimum Imperium ex urbe Româ, in quâ permultis jam annis ſedem fixerat, à duobus diverſis Imperatoribus, eodem cognomine inſignitis, in duas & eas quidem diverſas ac longè diſſitas nationes, eſſe derivatum. Primò enim ab Imperatore Conſtantino, cui cognomen Magno in Græciam, dein à Carolo, cui idem cognomen, in Germaniam fuit transportatum. Eſt nimirum Rerumpublicarum & regnorum fatalis quædam fortuna, quà à gente ad gentem illa juſtiſſimo Dei judicio, propter ὕβριν, ἀδικίαν ϗ ἀσέλγειαν transferuntur, *Syrac. c. 10. v. 8. Chriſtophor. Sturc. de Imper. Germ. 1. n. 7.*

21. De translatione ſedis Imperatoriæ in novam Romam à Conſtantino Magnô factâ, vid. *Oroſ. lib. 3. c. 13. lib. 7. cap. 28. Eutrop. lib. 10. Sozomen. lib. 2. cap. 2. Socrat. lib. 1. c. 12. Zoſim. lib. 2.* Quomodo verò Imperii Romani Majeſtas & auguſta dignitas tranſierit ad Germanos, jam erit ſpectandum.

22. Quin autem iſta Germanis à Carolo Magno obtigerit, non eſt quod dubitemus, aliorumque Germano-maſtigarum calumnias moremur, ſed potius miremur, Deumq; Ter. Opt. Max. à quo ut omnia Entia, ita quoq; omnia Imperia & regna dependent, laudibus quàm fieri poteſt maximis ex intimâ mente concelebremus, qui patriam noſtram præ omnibus aliis nationibus & populis, nobiliſſimi hujus Imperii inſignibus & titulis per Carolum Magnum condecorare, ejusq; nos tutores & conſervatores eſſe voluerit.

23. Diximus à Carolo Magno, divinâ volente & favente clementiâ, Imperium Romanum ad Germanos eſſe translatum. His ipſis verbis Pontificiorum adſertionem eliſam volumus, dum in *c. venerabil. de Elect.* ſtatuunt: Imperium

Ro-

Romanum in perſonâ Caroli Magni à Græcis ad Germanos autoritate & conceſſione ſedis Apoſtolicæ, tranſiiſſe. Id quod etiam infert *gloſſ. in c. in apib. quæſt. 1.* his verbis; Qui dicit Imperatorem habere Jurisdictionem ſine Papâ, dicit nos Imperatore carere.

24. Verùm reſpondeant ad hoc argumentum! Quicunque rem transtulit, illius fuit dominus; Papa Imperii Romani dominus haut fuit: Ergò illud transferre in Germanos nequivit. Propoſitio liquet ex eô, quòd nemo plus juris in alterum transferre poteſt, quàm ipſe habet, *per l. 54. D. de R. J. l. 120. D. eod. l. 20. D. de acquir. rer. dom.* Aſſumtionis veritas eſt manifeſta, nec infringi poteſt illô, dùm regerunt; Imperium Papæ Sylveſtro à Conſtantino donatum. Ut autem conſtet, quid ponderis habeat hæc ipſa adſertio Pontificia, agedum eam ad ſyllogiſticæ veritatis lancem adpendamus; Quamcunque rem jure donationis quis accepit, illius effectus eſt dominus; Atqui Papa Imperium Romanum à Conſtantino Magno jure donationis accepit; Ergò illius factus eſt dominus, & conſequenter ejuſdem in Germanos translationem meritò ſibi vendicat. Propoſitio probatur per *l. 1. D. de donat. l. 35. C. eod.* Aſſumtum ab autoritate multorum virorum præſtantiſſimorum, hanc donationem factam adſerentium, quos vide apud *Clariſſ. D. D. Otton. jur. public. c. 4. p. 83. & ſeqq.*

25. Sed nos probationi minoris fidem non habemus indubitatam. Tantùm enim abeſt ut ab autoribus iſtis à parte Pontificiâ ſtantibus, hæc donatio probari poſſit, ut potius ob diverſas & mutuo ſibi eorundem autorum repugnantes ſententias, nobis reddatur ſuſpecta, cùm Scripturæ diverſæ, ab unâ eâdemque parte prolatæ, nihil firmitatis habere poterunt, *l. Scripturæ. 14. C. de fid. inſtrum.* & ſi vel maximè concederemus hanc donationem eſſe factam, nihil quidquam tamen momenti obtineret; quippe Conſtantinus ſucceſſoribus ſuis æquali poteſtate præditis, jus ſuum quod propter Imperii dignitatem & coronam ipſis competebat, imminuere nequivit. Jura enim Regni coronæ,

& cætera dignitati principali adhærentia, alienando non adquiruntur, *P. Gregor. lib. 7. de Rep. c. ult. n. 62. 63. Hoteman. quæſt illuſt. 1. & 2. Althuſ. Dicæol. lib. 1. c. 35. n. 23.* & par pari præſcribere non poteſt aut præjudicare, *l. 4. D. de his, qui arb. recep. l. 58. D. de jud. l. 13. §. 4. D. ad SCtum Trebell.* Quid, quòd in vetuſtiorib. exemplaribus Decreti Gratiani de hujuſmodi donatione nil proditum extat? uti facit atteſtatum *Centur. 4. hiſtor. Eccleſiaſt.* & hanc ipſam donationem ipſi Pontificii impugnant. *Nicol. ſcil. Cuſan. lib. 3. c. 2. de concord. Cathol. Æn. Sylv. in ſuo Dial. Marſil. Patavin. in lib. cui titul. defenſor pacis*; & alii relati *à Sleidano lib. 2. de 4. Monarch. pag. (mihi) 205.* Porrò rés alienari prohibitæ donari non poſſunt; quia donatio effectu inſpecto nihil eſt aliud quàm alienatio; Jam verò Reſpublicæ, *l. 83. §. 5. D. de V. O.* & jura regni, Principatus, Ducatus &c. alienari ſunt prohibitæ, omnibus Politicis & Juriſconſultis ſanioribus adſtipulantibus; Ergò quoq; donari non poſſunt, & per conſequens hæc donatio Conſtantini nullius erit momenti. Accedit, quòd jus Reipublicæ pacto mutari non poteſt, *l. 2. §. 8. D. de adminiſtr. rer. ad civ. pertin.* & largitiones in regnorum detrimentum factæ, jure nullo ſubſiſtunt.

26. Carolus itaq; Magnus, Imperium Romanum ſibi ſuisq; Germanis adquiſitum, nulli alii acceptum ferre & poteſt & debet, niſi Deo Ter. Opt. Max. qui ſolus ſtabilit & transfert regna, *Jerem. 27. v. 5.* Nec quidquam roboris habet iſtud *Bellarmini lib. de ſumm. Pontif. c. 7. lib. de translat. Imper c. 9. in reſponſ. ad 8. propoſ. pro cauſſa Venet. propoſ. 1. & Covarr. pract. quæſt. c. 1. n. 6.* Reges ſuccedunt aut lege hereditatis, aut donationis, aut electionis, aut jure belli, qui ſunt tituli humani: Ergò ſuam poteſtatem non habent à Deo immediatè! Reſp. Diſtinguendum eſſe inter poteſtatem ipſam à Deo Principibus conceſſam, & modos eam poteſtatem adquirendi; illa eſt immediata, hi v. mediati atq; humani, *Cluten. in ſyllog. rer. quotid. theſ. 4.* Unde iſtud; Wir von Gottes Gnaden: Non: Von des allerheiligſten Vaters des Bapſts Gnaden! Nunquid enim

Matthiæ

Matthiæ Apoſtoli vocatio ſorte interveniente facta? *Act. Apoſtol. c. 1. v. 25. 26.* perinde ut Saulis? *Samuel. cap. 10. v. 21.* quin verò ambæ fuerint immediatæ, non eſt ambigendum. Annon Papa à toto Cardinalium collegio eligitur? Bellarminus tamen in æternum non eſt conceſſurus, ipſius inſtitutionem à Deo non eſſe. Idem quoq; judicium eſto de Papæ coronatione, & populi fauſtâ acclamatione, Carolo Magno factâ; his ipſis enim nulla poteſtas, nullumve jus evinci poteſt, Imperatorem in ſede Imperatoriâ collocandi, ſed electum & confirmatum ſaltem declarant, *Cluten. in ſyllog. rer. quot. theſ. 4.* Itaq; non immeritò Anno Chriſti 1157. ab inviĉtiſſimo Imperatore Friderico edictum, nequis, Imperium Romanum à Pontifice translatum, vel ſcripto vel alio quocunq; modo defendere auſit, ſin minus, ipſum læſæ Majeſtatis crimen incurſurum, *Hieron. Balb. Epiſc. Gürzen. in lib. de coror. Carol. V. Imper.*

27. Hic quoq; proſilit Bodinus, argumentum quoddam proferendo, quo nobis Carolum noſtrum Magnum unà cum Imperio eripere, illudq; ab ipſo non in Germanos ſed Gallos translatum eſſe, probatum dare magno nititur niſu, idq; *in method. hiſtor c. 7.* hujuſmodi proditum extat; Quicunq; natione Gallus, in Galliâ natus, linguâ quoq; moribus & inſtitis Gallorum unà cum ſuis majoribus educatus, Gallorum armis ac legionibus devictam Germaniam cum Imperio Gallorum conjunxit, is Imperium Romanum in Galliam transtulit, non in Germaniam; Atqui Carolus M. Gallus hoc fecit; Ergò Imperium Romanum in Galliam transtulit non in Germaniam. Sed Reſpond. ad primum propoſitionis membrum per inverſionem; Quicunq; Imperator natione Germanus, in Germaniâ natus, linguâ quoque moribus & inſtitutis Germanorum educatus eſt, is Imperium Romanum transtulit in Germaniam; Atqui Carolus M. fuit talis; Ergò. Aſſumtum probant ſcriptores fide digni, *Cuſp. n in vit. Carol. M. Jacob. Wimphel. in epit. rer. Germ. c. 22. Ludolph. de Babenb. de jur. regn. c. 3 Hieron. Gebwleb. de libertat. Germ. c. 6. Hotom. n Franco Gall c. 4* & alii, relati à *Clariſſ. D. D. Otton. jur. pub. cap. 5, pag. 106.* Alterum propoſitionis Bodinianæ membrum

quod attinet, reſpond. Bodinum ex nemine hiſtoricorum, qui ab omni ævo ſcripsère, quique probatæ ſunt fidei, probare poſſe; Germaniam ab ullo vel Monarchâ vel populo potentiſſimo, tantum abeſt à Gallis, devictam eſſe atque occupatam. Hinc *C. Cornelius Tacitus*, ſcribtor fide digniſſimus, Germanos quidem triumphatos, ſed nunquam victos fuiſſe prædicat, *Annal. libr. 1.* eſſe lętam bello gentem, *hiſtor. libr. 4.* eorumq; libertatem eſſe regno Arſacis acriorem, *lib. de morib. German.* Romanosq; à nullâ aliâ gente ſæpius & acrius divexatos, quàm à Germanis, *d. l. de mor. Germ.* abſq; iis Romanos plus cladis quàm victoriæ reportaſſe, *d. l.* Præclara ſanè hoſtis de hoſte teſtimonia, quibus meritò fides adhibenda!

28. Audacter itaque adſerimus, Germaniam nunquam in provinciam redactam, ſed potius Galliam provinciæ jure implicitam, ſæpiusque à Franco-Germanis divexatam & occupatam fuiſſe, ſufficienter id probante *Herman. Kirchn. diſputat. de Republ. 3. coroll. 1.* Carolo item Magno non ut Gallo, ſed ut Germano, Germanorumq; Regi, imperium collatum, ut ad Germanos, quorum virtute Imperium partum erat, & qui armis viribusque potentes, tantæ moli ſuſtinendæ ſoli eſſent, transferret, *Zoanett. in lib de Rom. Imper. num. 243. & ſeqq. Heig. part. 1. quæſt. 5.* Quapropter rectiſſimè hodiè vocatur Imperium Romano-Germanicum, Das heilige Römiſche Reich teutſcher Nation/ *Heig. part. 1. quæſt. 2. num. 29. Ampliſſimus Dn. Præcept. Arumæus de jur. public. diſcurſ. 2. per tot.* Reinkingk *de reg. ſecul. & Eccleſ. libr. 1. claſſ. 2. c. 3. D. D. Ott. diſcept. de jur. publ. c. 5. pag. 107. 113.*

29. Venit jam conſideranda Imperii Romani materia circa quam, ſive objectum, quod eſt continens vel contentum. Continens eſt territorium, cujus tùm homonymiam, tùm etymologiam, vid. *apud Clariſſ. D. D. Otton. jur. public. c. 6. p. 114.* Territorium Romanum verò perpendendum prout olim fuit, vel prout nunc eſt. Olim universâ ditione, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem ſpectante, terminabatur. Prout verò nunc eſt, poteſt dividi in univerſale, & particulare. Univerſale ſub ſe complectitur omnes provincias & ditiones, Imperio Romano-Germano

ſub-

ſubjectas Particulare, ſunt Epiſcopatus, Ducatus, Comitatus, ditiones civitatum Imperialium, in certos circulos diſtincti, quorum quilibet exprimit vel Electoratus vel Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Ducatus, Comitatus, Baronatus, civitatum Imperialium diſtrictus, Imperatori immediatè ſubjectos. Sunt autem circuli iſti numero decem. 1. eſt Francicus. 2. Bavaricus. 3. Auſtriacus. 4. Suevicus 5. Superiör Rhenanus. 6. Quatuor Electorum ad tractum Rheni. 7. Weſtphalicus. 8. Superiör Saxonicus. 9. Inferior Saxonicus. 10. Burgundicus.

30. Contentum eſt populus, qui in Imperio Romano antiquo dividebatur in Patricios & Plebejos. Adpellatione enim populi, *inquit Imperator in §. 4. Inſt. de J. N.G.C.* univerſi cives ſignificantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. Sunt autem Patricii, qui à centum illis Patribus progeniti ſunt, quos Romulus è civium multitudine lectos & electos, civitatis gubernaculis, Reique publ. moderationi deſtinavit, quosque ob reverentiam Patres, ab ætate Senatores adpellavit, *Livius libr. 1. decad. 1. Dionyſ. libr. 2. Feneſtell. de magiſtr. Rom. c. 1.* Senatorum triplex erat ordo: alii Patricii nominabantur, de quibus modò: alii Conſcripti, quia Regum, Conſs. Cenſorum decreto in Senatum adſcripti: alii Pedarii, quibus nondum in ordinem relatis, jus dicendæ in Senatu ſententiæ non erat; ſed tantùm ut pedibus in aliorum irent ſententiam, conceſſum, *Feneſtell. de magiſtr. Rom. cap. 1.* Hoc verò diſcrimine diuturnitate temporis ſublato omnes Senatores & Patres conſcripti adpellati, *Dionyſ. lib. 2. paſſim.* Poſtea ſub Auguſtis Senatorum nomine tantùm veniebant ii, quos Princeps ſibi Patres, id eſt, Conſiliarios elegit, *§. 4. Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. l. fin. C. de Conſ.* Conſules item & Illuſtres, horumque liberi, quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poterant, *l. fin. D. de Senat.* Plebeii cæteros cives, ſine Patriciis & Senatoribus, denotant *§. 4. Inſtit. de Jur. N. G. C.*

31. Intuitu Imperii hodierni Romano-Germani, populus dividitur in caput & membra. Univerſa enim Germanorum Reſpublica, componitur ex capite & membris, ait *Thuan. hiſtor. libr. 2. in princ.* Caput eſt Imperator, uti

conſtat

conſtat ex *Aur. Bull. tit. 2.* ubi Elector Moguntinus in Electione Imperatoris ita jurat: Ich N. Biſchoff zu Meintz/ ꝛc. daß Ich ꝛc. wil erwehlen ein weltlich Haupt dem Chriſtlichen Volck/ das iſt / einen Römiſchen König zu einem Keyſer zu ſeyn. Hoc etiam uſurpat Maximil. II. *in receß. Ratisbon. Anno 1566.* §. Wir wollen auch/ ibi: Wie Wir dann als Römiſcher Keyſer/ vnd das Oberhaupt im Heil. Reich *in receß. Anno 1570.* §. Nach erledigten/ ibi: Haben wir als ein wachend Haupt des Römiſchen Keyſerthumbs. Adpellitatur quoq; Oberſters Haupt der Chriſtenheit. *in receß. Anno 1530. in princ. Anno 1518. in princ. Anno 1529.* §. Vnd anfenglich. *Anno 1530.* §. Nach dem aber ꝛc.

32. Imperii Romano-Germani membra & ſtatus ſunt, qui Imperium Imperatoremvé Romanum immediatè ſuperiorem recognoſcunt, ab ipſoq; dependentem obtinent poteſtatem, hiq; claſſes, quibus diſtinguuntur, conſtituunt ſeptem. Prima eſt Electorum: Secunda Archiepiſcoporum: Tertia Epiſcoporum: Quarta Principum Politicorum: Quinta Prælatorum: Sexta Comitum & Baronum: Septima civitatum. In Comitiis verò ſtatuum conventus per tres diſpeſcuntur claſſes: quarum una eſt Electorum: altera Principum Eccleſiaſticorum & Secularium, tùm etiam Prælatorum, Comitum & Baronum: Tertia civitatum Imperialium, *Paurmeiſt. lib. 2. de jurisd. Imp. Rom. c. 2. n. 16. & 17.*

33. Ut autem ſtatus Imperii Romani quis eſſe & pro eo reputari velit, (*ſunt verba Clariſſ. Dn. M. Reinhard. König, amici & favitoris mei honorandi, in acie diſput polit. 8. theſ. 2.*) quatuor qualitates, ſeu inſeparabilia potius adjuncta ut habeat neceſſe eſt. Primò in conventibus Imperialibus ſtationem ſeſſionemq; obtinere, & ſententiæ jure gaudere debet: Secundò in albo ſeu matriculâ Imperii, Jn des Reichs Matricul/ ejus nomen extare debet: Tertiò obveniente neceſſitate certi quid penſitare, ſubſidiumvé militare ſubminiſtrare tenetur, & hîc etiam neceſſe eſt, ut illud ſubſidium non niſi immediatè Imperatori præſtetur: Quartò in ſuis territoriis merum mixtumque Imperium & omnimodam jurisdictionem tu habeat,

beat neceſſe eſt. Vigore cujus ipſum Imperatorem in territoriis repræſentant.

34. Imperii Rom. forma, per quam eſt id quod eſt, conſiſtit in eo, quod ſit legitima imperandi poteſtas. Quæ verba Imperii Romani finem quoq; cum formâ coincidentem, complectuntur. Eſt autem finis iſte duplex; Principalis, & minus principalis. Principalis & quidem abſolute ſpectatus, eſt publica honeſtas, ſive virtutum moralium communis & publica actio atq; exercitium, *Keckerm. in præcogn. ſyſtem. polit. pag. 23.* Hinc *Ariſtot. 7. polit. c. 2.* ait: Neceſſarium eſt illam Rempub. eſſe optimam, per cujus inſtitutionem quilibet optimè, id eſt, honeſtè & ſecundum virtutem, agit. Nec eſt quod dicas perperam hîc relligionem puram omiſſam, cui jure meritò finis principalis prærogativa ſit deferenda, ut quæ vel maximè Rempublicam perficiat. Reſpond. Nos puram relligionem, ſi haberi poſſit, è Republicâ exeſſe nullo modo volumus: interim tamen de hujuſmodi fine nobis cogitandum putavimus, qui in omnes Reſpublicas tanquam generaliter principalis inducier poſſit. Quis enim quæſo, puram relligionem, tanquam finem neceſſarium & generalem in omnibus Rebuſpublicis exigeret atque urgeret, cùm non ad Rerumpub. ſimpliciter eſſe, ſed ad pręclarè tantùm eſſe requiratur? Num quondam fuêre multæ Reſpublicæ? nunquid etiam nũ ſunt permultæ, penè dixerim omnes, qui hoc perfecto & excellenti fine ſunt deſtitutæ, quæ tamen nihiloſecius verarum & optimè conſtitutarum Rerumpubl. laudem merentur? Quis enim, niſi Deus aliquis, mihi talem exhibebit Rempublicam, & eam quidem non adeò magnam, in quâ apud omnes cives pura relligio abſque ullâ ſimulatione ex æquo vigeat, floreat? Cùm igitur talis finis perfectus & in gradu eminentiæ conſideratus, in hâc vitâ humanâ ſit optandus potius quàm ſperandus, de ejuſmodi nobis erit diſpiciundum, qui omnibus Rebuſpublicis induci poteſt, donec in æternam transferamur Rempublicam, ubi omnibus eadem erit mens, idem animus, purâ religione, Dei perfectâ cognitione, eſſentiæ divinæ verâ contemplatione imbutus.

35. Finis minus principalis eſt utilitas & ſalus populi externa. Ut enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commiſſi, gerenda, *Cicero lib. 1. offic.* Et quemadmodum gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria; ſic moderatori Reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firmâ, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit Reſpublica, *Id. lib. 8. Epiſt. ad Attic.* Pulcrum iſtud *Claudiani ad Imperatorem Honorium*;

Tu civem, patremq; geras, tu conſule cunctis,
Non tibi, nec tua te moveant ſed publica damna!

Et verba iſta *Ariſtotelis*, dum *lib. 3. Polit. c. 4.* dicit; finem Politiæ eſſe publicam utilitatem, non de fine principali, ſed minus principali ſunt intelligenda; honeſtum quippe ſemper prævalere debet utili, *Keckerman. in præcogn. ſyſtem. pol. p. 28.* & multæ ſunt Reſpubl. benè conſtitutæ, quæ tamen nec multitudine opum, nec magnitudine ſplendoris ſuperbiunt. Salutem & pacem externam quoq; ad finem minus principalem retulimus, cùm multæ dentur Reſpublic. beatitudine internâ fruiſcentes, licet pacis externæ intuitu periclitentur, perpetuóque ab hoſtibus divexentur. Sit nobis exemplo Reſpublica Belgica, quæ etſi annis jam 40. Hiſpani oppugnationibus fuerit expoſita, tantùm tamen abeſt ut de ipſius beatitudine ſit dubitandum, ut propter pacem internam atque concordiam, beatiſſima ſit judicanda. Idem de Genevenſium aliisq; Rebuſpubl. ſtatuendum.

36. Effectus Imperii Romani reſpectu duplicis finis itidem eſt duplex. Vel enim exiſtit à fine interno principali, vel externo minus principali. A fine interno proficiſcitur pax & tranquillitas interna, animorumque arcta conjunctio. Quemadmodum enim voluptas in Ethicis non eſt finis Ethicæ, ſed ejuſdem finis, felicitatis nimirum Ethicæ neceſſarius effectus, qui hoc fine poſito per ſe & ultrò ſequitur; ita quoq; pax interna Imperii, uti nec alterius alicujus Reipubl. finis non eſt, ſed effectus neceſſariò finem principalem ſequens, perinde ut lux ſequitur ſolem orientem, *Keckerm. in præcogn. ſyſtem. Polit.* Nam in Republicâ honeſtè, & ex præſcripto virtutum politicarum ſi vivatur, non eſt ambigendum, quin ex

hujuſ-

hujuſmodi honeſtâ & publicâ virtutis publicæ actione, ebulliat ſecuritas, voluptas & pax interna, cum cauſam ſequatur effectus.

37. Effectus à fine minus principali ac externo promanans, eſt Imperii auctio & amplificatio. Hinc Imperatores noſtri glorioſiſſimi ab hoc effectu nomen ſunt ſortiti Auguſtorum, quod de augendo Imperio debeant eſſe ſolliciti, quod non tam bellicâ propagatione, quæ anceps & periculoſa, quàm aliis modis felicioribus fieri poteſt, quos perſtringit *Herman. Kirchner. diſſ. de Rep. 15. per tot.*

38. Antequam verò receptui canamus, controverſiam iſtam, utrum ſtatus Imperii ſit Monarchicus, an Ariſtocraticus, pauciſſimis perſtringamus. De Imperio Romano antiquo quòd fuerit Monarchicum, à nemine unquam dubitatum equidem novi: Hodiernum verò quod attinet, iſti Monarchicam dignitatem multi præreptum eunt, ſed quibus fundamentis, nullus dum video. Nec quidquam proficiunt, qui nobis effatum illud Electoris Moguntini, Ariſtocratiam inprimis retinendam contendentis, objiciendo, Imperium noſtrum Ariſtocraticum efficere conantur, committunt quippe fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, cùm Elector iſtud non ἁπλῶς, ſed intuitu tantùm adminiſtrationis adpellarit Ariſtocraticum, ſtatus autem ipſe, & ſtatus ejuſdem adminiſtratio, in Republ. probe ſunt diſtinguenda, ne confuſis quæſtionibus, confundantur res ipſæ. Quemadmodum igitur Imperium noſtrum hodiernum quà ſtatum ipſum Monarchicum eſſe, ob idque tanquam à digniore Monarchicum denominandum adſeveramus, *argum. l. quæritur. 10. de ſtat. hom.* ita quoque idem Ariſtocraticè gubernari haud negatum imus, nec inde abſurdi quidquam ſequitur. Miſcentur inter ſe fateor, & remittuntur aut intenduntur, ſed ſicut propendeat & præponderet ſemper aliqua pars, à quâ jure ei nomen, *Lipſ. Polit. lib. 2. c. 2.* Nos ad adſertionis noſtræ confirmationem unicum ſaltem proferemus argumentum; In quocunq; ſtatu jura Majeſtatis pluribus non ex æquo competunt, is non eſt Ariſtocraticus; Atqui in ſtatu Imperii noſtri Romani jura Majeſtatis pluribus, Electoribus ſcilicet cum Imperatore ex

æquo non competunt; Ergò non eſt Ariſtocraticus. Propoſitio eo uſque ſtabit, quouſque definitio ſtatus Ariſtocratici. Aſſumtionem, cum ſit manifeſtiſſimæ veritatis, qui negare vellet, is ſanè dignus eſſet, qui ablegaretur Anticyras, ubi multum eſt hellebori perpurgando cerebro adcommodi. Quod ipſum ſi Bodinus penitiùs perpendiſſet, non fortean eò furoris actus eſſet, ut veritati ipſiſſimæ bellum indicere haut erubuiſſet. Cujus argumenta, tùm anguſtiâ temporis & pagellarum excluſi, tùm quòd à *Clariſſ. D. D. Otton. jur. publ. cap. 7.* ſatis doctè & acutè ſunt examinata & exanimata, adpoſita refutare denuò non eſt animus, in ipſo diſputationis conflictu, occaſione ita ferente, ea viſuri.

F I N I S.

ROMA

DISC. II.